

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Martirium m cum fonte primo

Fortissimus Abraham, sed beatus
Laurencius fortior fortissimo.
Audiamus qualiter Abraham sua dimisit;
Laurencius sua dispersit, dedit
pauperibus. Abraham filium
suum Deo obtulit, Laurencius se ipsum
pro Filio Dei. Hic ignem parat, colligat
filium, gladium euaginat, sed angelum
audit prohibentem ne perficiat; ille ad
ignem positus Christum predicat,
carnifices uero urgentes carbones
ministrando uerbis non exasperat,
efficitur holocaustum Domino, id est
totum incensum: intus igne caritatis,
exterius uero flamma tribulationis.
Hic quia obediens efficitur, filium
recipit incolumem; ille quia perseuerat
in tormentis, adeo Filio recipitur ad
salutem.

Hugo de claustro anime libro I.

Fortissimus Abram, sed beatus
Laurentius fortior fortissimo.
Audiamus qualiter Abram sua dimisit,
Laurentius sua dispersit et dedit
pauperibus (Psal. xi). Abram filium
suum Deo obtulit. Laurentius seipsum
pro Filio Dei; hic ignem parat, colligat
filium, gladium euaginat, sed angelum
audit prohibentem ne perficiat, ille ad
ignem positus Christum praedicat,
carnifices urgentes, carbones
ministrantes uerbis non exasperat,
efficitur holocaustum Domino, id est
totum incensum, intus igne caritatis,
exterius uero flamma tribulationis.
Hic quia obediens efficitur, filium
recipit incolumem, ille quia perseuerat
in tormentis, a Dei Filio recipitur ad
salutem.

Hugo de Folieto, *De claustro animae
libri quatuor*, 1, 14 (PL 176, col.1042D-
1043A).